

BIB
A1-23
1.

Vir Ornatissime BENDAVID, Inditae,
ac Celeberrimae Societatis Berolinensium Humanitatis
Amicorum Director Meritissime, Domine mihi singulari
Cultu, Observantiaque Prosequende!

Aequi, bonique, quaeso, consulas, quod ego ignotus, et
obscurus Romuncio e tam longinquis Oris Te in Orbe Litterario
tanti Nominis, tantaeque Celebritatis Virum hisce meis, beneficio
publici tabellarii missis, confidentius interpellare sustineam. Cum
enim alia nulla certior, nulla securior suppeteret opportunitas,
Rae fidissima ministra uti ratus, contendo Tibi officiose perquam
humilia Obsequia mea, dulcissimamque annuntiare salutem,
ac una per missum muneri hocce novum, Bonaparteo, &
Canora sacrum Carmen meum, notum me Tibi ignotus intrepide
reddere. Quod dum agere apud animum meum statuebam, vox
illa Romanae Humanitatis Gloriam gravissima: Omnes Artes,
quae ad Humanitatem pertinent, habent commune quoddam
vinculum, et quasi cognatione inter se continentur; menti meae
obversabatur. Hoc itaque ego incitamento, Tuoque insigni cum
Exuditione, tum etiam humanitate animatus, Tibi Vir Orna-
tissime, qui ad Clavum eius Litterarii Instituti sedes, quod ipse
divae Chariter exere, indeque belle oppido Societatem Amico-
rum Humanitatis nuncupare, omnem rumpendam esse duci-
moram in transmittendo memorato isthoc Carmine meo, quod
nuper admodum per Excell. Legatum Gallicanum Champagny,
(ut ex propriis eiusdem ad me datis litteris intellexi) Excellentissimo Vestro
Regio Borussia Legato, Viennae in Austria residenti, praesentatum,
singularem ab eo perhibetur tulisse approbationem. Accessit et
ille non ignobilis stimulus, quod cum ob alia perplura Poemata
mea, antehac edita, a Regio Borussia Moralium, & Elegantiorum
Litterarum Instituto Erlangensi ante biennium in numerum
eiusdem Incliti Instituti Sociorum Ordinationum referri mecue-
rim, dubitare nullus ^{videbam} a Vobis quoque sperata cum Gratia, &
Benevolentia piissimum meum Cultum, Vobis officiose exhibi-
tum, exceptum iri; quandoquidem unius Augustissimae Regiae
Borussicae Coronae Cives, atque Litteratores estis, ac ideo
paris quoque laudatissimae Humanitatis Virtutis aemuli
Cultores, verique Humanioris Litteraturae exterorum studiosorum
Amici, & Fautores, qualem, si quem, Te profecto, Magnifice
Director, cum universa Vestra Illustri Litteraria Societate et
reverenter suspicio, et dum vivam, observantes devenerabor.

Atque hanc ego Tecum iuxta omne in aevum florentissimam,
celeberrimamque esse cupio, mihi summopere gratulatus, quod
Te, ceu eius nobilissimum modo Antistitem, hisce revereri
poterim. Vale, Vive, Claresce, Vir omnium longe Optime, ac
Clarissime! Tibi a me uberrima dicitur Salus, Inditae
vero Societati profundissimus Depromitur Cultus. Scribebam
Magno. Varadini in Hungaria Die I^a Mensis Maii
Anno 1804. —

Vestex singularis, usque pecennis Cultor,
Michael Tertina m.p.
Archi-Gymnasii Magno-Varadinensis Prodirector,
& Eloquentiae Professor Regius Publicus Ordinarius.

P.S. E plurimis Adversibus popularium meorum poeticis, qui Editionem
hinc Camlinis subsecuti sunt, ad complendam chartae huius Vacuitatem
sequentia duntaxat describo, cum aliis in Secunda Editione divulganda.

Quem Natura facit Mostalem, Gallice Consul!
Pax, & Religio, ne moriari vetat.
Ars Canovae miro corpus Tibi maxime frigit,
Nomen ut in secula posteritate feras.
De Statua, Bonaparte, tua quod Tertina scribit,
Et vivax animi Carmen imago tui.
Cecinit Jo. Nep. Vass, Canonius Varady.
Ense suo Bonaparte: suo quoque Canova scalpro:
Tertina sed calamo! Secula mille ferent.
Cecinit Alexius Nedeerky Eedesuita.

Andreas Loois Heloeticae Confessionis Pastor Ungvarinensis cetera inter de me
haec: Te Bonaparte colat! nam non inglorius Urnam
Felix ille Hector, Te modulante petet.

De Bonaparte vero ita:
Diva Themis, Pallas, Mars, Pax, Ecclesia Mater,
Publica Res, limes Tiberis, Mare, Sequana, Nilus
Certant, cuius sit Bonaparte? — Est omnibus Unus!

Legatus Gallicanus Champagny datus ad me 10. Germinalis, Republicae 12. Anno Litteris honorificen-
tissimis post plura haec scribit: „Les evenemens que vous celebrez sont de tous les bienfaits d'un
„ grand homme envers son pays, ceux qui sont les plus chers à la France, le rétablissement de la paix
„ & de la Religion. Tout ce qu'il y a en Europe d'Amis de la morale et de l'humanité ont du
„ les voir avec le même intérêt. En les célébrant vous êtes donc assuré d'avoir mérité au
„ moins par le choix de votre sujet le suffrage des hommes estimables et honnêtes de votre
„ pays, comme celui de tous les citoyens français
„ Agreez Monsieur mes salutations distinguées
Champagny